



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Benedictus Redivivus Hoc est: Benedictinij Ordinis
Vetustißimi Amplißimique, Nostra, ac supera ætate
Jmmarcescibilis Vigor, ac Viror**

Bucelin, Gabriel

[Veldkirch], Anno Christi. M.DC.LXXIX.

Iesu Christi Annus. M.DC.XXV. Sancti Patris Benedicti. M.C.XLV.

urn:nbn:de:hbz:466:1-38498

est sacrum corpus ejus, loco quo decessit, eor verò Claram Vallem delatum est, his tantum *Argenti* imo *Auri* præstantissimi thesaurum illis haud immetito invidentibus. Positum non unum viro tanto Epitaphium, quæ subijcienda censuimus.

EPITAPHIA S. M. DIONYSIJ ABBATIS
CLAREVALLENSIS.
CHRONOSTICON.

Epitaphium.

Æthera Mens superat l' Argentier,
a Vrea CorpVs
Sors tenet, & CLara Cor sbl Vallis
habet.

Aliud Epitaphium.

Ortum Treca, gradum Sorbona & Clara
tiaram
Vallis, at exequias Aurea, & Altra
DEUS.

Diversa
Epitaphia.

Aliud Epitaphium Anagrammaticum.

DIONYSIUS L' ARGENTIER
Anagramma.

ALES DEI JNGREDITUR SYON.
Raptus amore DEI, sanctam Dionysius
ALES

JNGEDITUR terram corpore, mente
SYON.

Ejus laudes eleganti stylo profertur R. P. Laurentius de la Roche oratione funebri Luxemburgi impressa anno 1624. apud Hubertum Reuland, è miraculis aliqua ab Henriquezio recensentur prolixè, nimirum Religiosi à quartana, alterius incurabili stomachi infirmitate, aliorum Apostemate gravi, venæ dissectione, &c. gravissimis periculis prodigiôsè liberatorum &c. *Ex Chrysof. Henriq. Ang. Manrique, &c.*

Evolat & alius mirabili splendore è terris animus hoc ipso anno sexto

Franciscus
à S. Maria.

Nonas Martij Venerabilis P. Francisci à S. Maria Magdalena, Fuliensium nostrorum in Gallia Provincialis. Hic Gallus natione, cum jam ætate maturus & sacris initiatus Ordinibus esset, Regulamque S. P. N. Benedicti professus, tanta virtute enituit, ut per viginti quinque & amplius annos Prioris & Provincialis munere fungi cogeretur, in quo rigorem cum mansuetudine, justitiam cum misericordia jungens, disciplinam Congregationis mirificè promovit, & æternum meruit. Licet autem adversa valetudine perpe-

Provincia-
lis.

tuo premeretur, de rigore tamen semel suscepto nihil remisit, & inedia potius, quàm alio quocunque remedio morbos profligavit. Primus & ultimus semper in Choro fuit; post Matutinas in templo contemplationi vacans, asperrimo etiam in frigore, ad usque Primam Canonicam persistit. Ita parcus in risu, uti sobrius in victu, Philosophi Christiani imaginem ipsius in se omnibus redhibuit. Ab omnibus autem Passionibus humanis liberimus, hospitalitatis insuper charitate mirè enituit. Horam denique mortis suæ Spiritu Prophetico prædicens, cum magna sanctitatis opinione Tolosæ decessit. *Hugo Menard. Carolus à S. Maria, Chrysof. Henr. Phil. Malaballa.*

Ejus Virtus.

In Hispanijs Congregationis nostræ Montis Sion, eximia celebrantur novo fervore merita, dum felicissimi ejusdem Alcætæ non literas solummodo & eruditionem diversissimis locis & universitatibus longè latèque promovent, Philosophiam & Theologiam summa cum laude & utilitatè profitentes, sed & ad Infidelium Conversionem, in diversas & remotissimas missi Regiones, gravissimis generosissimo animo terra marique perfuncti periculis indurati calamitatibus, nihil reformidantes laboris & incommodi, innumerabilem pene mortali-um multitudinem ex Inferi eripientes faucibus gremio Romanæ Ecclesiæ adducunt, de quorum sanctissimo Vitæ Instituto, & præter sanctissimam Regulam nostram constitutionibus, legendus *Henriquezius lib. 2, d. 15.*

Apostolici
Laboris fructus.

IESU CHRISTI ANNU S. M. DC. XXV.
Sancti Patris Benedicti. M. C. XLV.

Hoc anno Christi M. DC. XXV. Panhormitani, cognita & celebrata admirabili Archiparentis nostri BENEDICTI in avertenda pestilenti lue, alijsque cum terræ motibus, tum propulsandis hostibus, gratia: solemnissima cooptatione suæ Urbis Patronum delegere. *Ex communicatis à R. P. D. Mauro Marchesio.*

S. P. N.
Adoptivum
Tutelarum
Panhormitanorum.

Innumera multitudo eorum, quos ex Ordine hoc ipso tempore, insigni vitæ innocentia & doctrina atque eruditione mirandos orbi proponere & æternis sæculis commendare oportet,

Redivivus
revera in
terris S.
Benedicti.

ret, consulto præterimus, præsertim ab alijs, & Reverendis maxime Societatis JESU Patribus summopere commendatos, ut Redivivus in terris Admirabilis Pater & Patriarcha noster Benedictus, & revertisse in terras totus è cœlo Sanctorum exercitus videretur. De quo Nostrorum fervore, & Antiquo in illis resuscitato Spiritu, ita Reverendus Pater Contzen, Societatis JESU Presbyter insignis & optimè meritis Politic, l. 6. cap. 46. n. 12. *Nunc vero omnes Ordines ferventius & constanter, quàm à trecentis annis factum sit, sese reformant, alij aliorum exemplo excitati, Et eodem libro 6. multo luculentius cap. II. Veteres familia Religiosorum, pristinam integritatem rigoremque receperunt, & indies magis magisque resurgunt, magna spe meliorum temporum. Cum iam sancta, fortia, DEO sacratissima pectora caliginoso mundo demonstrant, contemnerent seculi pompas, & sese pro nobis apud DEUM interponant, & votorum turba selecta, primitias Spiritus præferentes, senescenti Orbi auxiliari conentur, &c. Apud Casinum etiam nova luce sacra Societas illustratur Simplicio Cavarello Abbate, viro in paucis meritissimo, sub quo Casini antiqua dignitas & fama reparata; Hospitalitas inprimis, quæ ex usu Monachorum nostrorum fere præcipua suspicitur, cum uno unico ille Jubilæi anno præsentè, septuaginta peregrinorum millia hospitio exciperet, & pro dignitate quemque sua tractaret. Sed de hac nostrorum in peregrinos ac pauperes liberalitate plane immensa, in Ordine amplissimo perpetuata, stupenda referre possèmus, & referre cum tempore aliqua saltem exempla debèbimus, quæ quantumvis excedere fidem videantur, reapse tamen demonstrabimus, summa cum intelligentium admiratione, Ordini opes cum invidentium confusione accrevisse. Ex Marco Antonio Scipione, &c.*

Simplicius
Cavarellus
Abbas Casini.

Eodem anno Januenses supremo in discrimine, quem olim, dum superstes in terris ageret, Amicum experti erant, tanto post è cœlis Protectorem, solemnè voto evocant Mellifluum Doctorem nostrum: experti quamprimum sese gratiosissimè exauditos. Ipsismet Manrique verbis referamus: Januenses verba Patris San-

cti (Bernardi nimirum, in Epistola quadam ad ipsos data) *Ja æternum non obliviscar Tui, adeo sibi firma esse censuerunt, imo & experti sunt; ut etiam post quingentos ferè annos, Christi nimirum millesimo sexcentesimo vigesimo quinto, cum Excellentissimum Principem Carolum Emanuelem, Sabaudia Ducem, quem hostem patiebantur, nimis infensum, Ditionis oppida vastare, & sibi jam imminere, vix quinto ab Urbe lapide conspicerent, oamni humano auxilio desperato, fidem Sanctissimi Patris interpellaverint, concepto voto, post alia in hunc tenorem: Posthac, inter Divos Reipubl. Nostræ Tutelares, Divum Bernardum, qui dum in humanis agebat, nostri in æternum non obliviscendum suis litteris spopondit, adscribere & connumerare promittimus, & volumus, diem ejus Festum celebrare, & à populis nostris & Clero, accedente Illustrissimi Archiepiscopi & RR. Episcoporum consensu, celebrari curare, in hac Ecclesia Majori, vel in alia, arbitrio nostro, Capellam eidem dicatam construere. Eadem die Divi Bernardi quotannis in perpetuum, solemnem Processionem fieri, & sacrum solemne ad ejus altare nobis pie assistentibus celebrari facere. Et demum manu Ducis, dicti sacri inter solemnia, singulis annis in perpetuum, & pro hoc anno, duodecim puellis, ut vocant, Dotes, scilicet libras centum unicuique earum persolvere. In cuius rei testimonium, has ab inscripto nostro Secretario publice lectas, recipi, & subscribi, & signo nostro muniri jubemus: Datas in Ecclesia Cathedrali die Dominica 25. Aprilis anno 1625. Hac Januenses instante ruina, Suae Reipubl. At quàm ex voto illud eis votum successerit, non multo post eventus monstravit: Nam Pater Sanctus dilato solum auxilio, quoad ipsius esse comprobaretur, in ipsa solemnitate ejus Vigilia, Hispana classe auxiliari propitius affuit, hostiles copias ocyus fugaturus. Nec quisquam in populosa Urbe fuit, qui non Bernardi cognosceret tutelam, & præsentem sanctum, cui beneficium acceptum reddendum foret. Ita citatus Auctor.*

S. Bernardus
Genensium
Protector.

Votum Reipubl.
Genensis.

Tutelarum S.
Bernardus
agnoscitur.

Iterum lectissima Nostrarum Virginum Congregatio de Calvaria dicta candidissimam cœlo columbam transmittit, Divæ Scholasticæ candore æmulam, sociam professione: Joanna de

Ven. Joannæ
de Conflans.

de Conflans dicta fuit, quam Antonietta olim nostra, suis colloquijs & prudentissimis consilijs, Calvinismum, quem cum lacte imbibera, ejurare persuasit. Hæc tandem Piclaviv Calvarie professâ institutum, tot brevi Virtutum cumulos sibi aggregavit, poenitentia potissimum, Obedientia, ardentissimi que pro salute animarum Zeli, ut omnibus admirationi esset. Surda statim à Professione effecta diu noctuque nihilominus, sacris officijs sedula intererat, asserens se sororum & cordibus, & vocibus Domino amantissimè jubilare. Tabido ulcere viscera depascente, Sacramentis munita dum mortem sibi instare intellexisset, solemnem Hymnum *Te DEUM laudamus* rara vocis festivissimæ harmonia præcinens, ad illum versum: *Te ergo quæsumus Tuis famulis subveni*, sola prolequuta est, atque sorores precata, ut dictum Hymnum perficerent in terris, ad quem perficiendum DEUS ipsam in Coelos vocaret, cumque his innoxium animum efflavit. Postera die ejusdem obitus, Pater quidam Capucinus, cui ipsa Catharina prorsus ignota erat, ad Conventum ascitus, ut pro animæ refrigerio sacrificaret, cum statet ad cratem ferream sacram Eucharistiam sororibus ministraturus, stupens diu hæsit immotus, socio frustra sacras vestes, ut ipsum resuscitaret, vellicante. Tandem ad se reversus sacroque peracto, Superiorem alloquutus, asseruit: Inter Missarum solemniam, persensisse vehementissimum motum, quo meritis Defunctæ, à DEO gratiam aliquam postularet, sibi quàm maximè necessariam, pro qua quindecim jam annis diu multumque rogaverat, atque in momento Communionis Religiosarum, credere à Domino exauditum. *Ex Vita B. Mem. Antonietta d' Orleans.*

Inter cantum Hymni Te Deum Laudamus moritur.

Quidam per meritum ejus magnam gratiam meretur.

Verum hoc extincto lumine, & hoc ipso quidem anno [pro DEUM immortalè!] quantum non gratia Ordini fecit in hæc ipsa Congregatione S. P. N. BENEDICTI de Calvaria, largitione unius suæ Creaturæ, quam ab utero Matris suæ elegit, & in vita omni, etsi admirandis gratijs cumulatam, supra omnem tamen Sancti Job patientiam & innocentiam exercuit, tanto magis admirandam, utpote Virgi-

nem tenerimam. Ista fuit verè sanctissimæ memoriæ Anna de Goulesne, felici deinceps omine Anna-Maria à JESU Crucifixo cognominata., verè mundo Crucifixa., & siquæ ulla alia Crucifixo Amori concrucifixa, stupendum omni posteritati miraculum, Ordinis ornamentum, quæ exstructo hoc anno 1625. Morleacensi Nobili Congregationis de Calvaria Cænobio, in quo soror ipsius Venerabilis Mater Francisca de Goulaine (alij Goulesne) Sub-Priorissa destinata fuerat, inter primas S. P. N. BENEDICTO se devovit, etsi impedire Cacodæmon terribilibus sane conatibus provirili moliretur. Digna res, quam ab exordio recitemus: Et gratulamur nobis, eodem ipso anno tam charum Numini pectus, abjectioni nostræ connatam, & æqualem annis Patronam meruisse. Nata proin fuit Christi anno millesimo quingentesimo nonagesimo nono, sæculi prioris corona, basis, imo columna Præsentis, simulque gratia Numinis admirabile simulacrum. Parentes habuit Generosissima familia de Goulesne seu Goulaine Baronem de Fauoyer, & Annam de Pleura, jamque à cunis Divinæ dulcedinis Benedictionibus cœlitus præventa effulsit. *Salutationem Angelicam* (malum Sancti Scriptoris Verbis, quàm nostris uti) quam docente nutrice pronunciare non poterat, Angelo Præceptore, perfectè didicit. *Augerebatur indes Divina gratia, augescere atate; sæpè morbis insanabilibus, quibus frequens cruciabat, de repente opitulantibus Sanctis, quos speciali cultu (qui multi erant) venerabatur, interdum levabatur. Annos nata decem & octo, multis inducitur, urgetur, adigitur nubere: id patre imprimis pertinaciter & volente & præcipiente; sed eam, DEO duce, qui sibi duntaxat Virginem castam desponderi emulabatur, his molestis vindicavit subita & præceptis ejusdem patris mors; ubi vero ab amantissima Matre, sibi indultum ex animi sententia, imò ex Spiritus Sancti ductu vivere agnovit, abreptis quamprimum pretiosissimis vestibus, vulgari habitu, omnimodis mundi contemptum professa, abdita longeque ab oculis hominum remota, in ipso parentum Castello cellulam delegit, in qua rebus procul mortalibus, mens avolabat fervida, Divinæque juncta cœni, Angelis ipsa par, habebat*

Ven. Anna de Goulesne.

Francisca de Goulesne.

Angelum Præceptorem habet.

Piissima ejus Mater.

Solitaria in quodam Castello degit.

bat inter sidera, atque, ut quem abiecerat mundum, ab ipsomet ipsa penitus abigeretur, in gravissimum morbum incidit, ex quo delicatum pectus Virginis ita infectum est, ut nunquam postea per totam vitam carnes, nedum gustare, sed nec olfacere potuerit, ac siquid pinguis jusculi alijs obsonijs intermiseretur (quod sepiissime ad caucelam & probationem usurpatum est) tanta vehementia evomebat omnia, ut plane confici videretur. Solo DEO teste aliquamdiu in praefata solitudine vixit, tanta vitae austerioris sacra rabie in corpusculum, varijs aggritudinibus jam penè caecetum, ut non debilis Virgo, sed immanis in seipsam carnifex quoidiana laniata censeretur. Noctem ipsam fervida mens ingeminatis orationibus in diem vertebat, nec amplius quam ipse fere Custos Angelus somno indulgebat. Aegrotis, inopibus, orphanis, viduis sic aderat in omnibus, ut omnium miserorum Mater, tenera adhuc Virguncula passim vocaretur. Facta Daemoni à DEO in charissimam Sponsam potestate omnimoda, eam tanto imperio, tanta rabie invadebat plerumque, ut quae in ipsam feralis odij juratique in hominis perniciem furoris edidit signa, satis sine fidei astruenda, omnium quae de hoc argumento leguntur in Historijs. Praecipuum interdam eam agebat, ea vi, ut totum corpus collideret. Die Festo S. Joannis Baptista, cum ad sacram Eadem pergeret Missæ ad futura, equum cui infederat vanis ludicris sic perterruit, ut in fugam actus debilem puellam per aspera & in via raptaret, neque ullâ industria quiescens per duo millia deturbatam multis vulnibus lethaliter sauciaret. Denique quaecunque torquendis Martyribus, olim esset atissimis Tyrannis suggestit dira consilia, ea ipse omnia crucianda huic Virgini concessit, quae nonnunquam celitus recreata carnificibus intrepida illudebat. Vidit saepe dum omnimodis quateretur ab hostibus, **F E S U** Christi desideratissimam effigiem, ea forma qua ipsum Pilatus Judæis ostendit dicens **ECCE HOMO**, sibi amantissime abblaudientis. Utebatur quam familiarissime Virgine DEspara, maxime diebus Sabbathi, quibus Sacellum quoddam desertum, eidem sacrum singulari pietate invisens, venerabatur; Verum perfectioris vitae zelo estuans Nobilis animus, nihil non moliebatur, quo aliè pridem menti infixum votum, Benedictinam Religionem sub disciplina Calvariensis Congregationis, in

qua jam duae sorores, haud segniter militabant, ingrediendi, sed pijs desiderijs obstabant varia corporis aggritudines. Fuit tamen Divina Providentia, ut in exstructum noviter Morleacense Canobium admitteretur, quod quidem quantiscunque impedire potuit artibus, Cacodemon conatus est, atque ubi primum institui Anna, ut voti compos fieret, multis etiam tormentis dilaniavit; siquidem nocturnis Vigilijs, Religiosarum Choris cum interesset, horribili fragore multisque impatijs verberibus, susque deque corpus Virgineum verfans, ita omnes perterruit, ut penè ab omnibus desereretur, trepidantibus ad inusitatum spectaculum simplicibus puellis. Sed habito consilio Virorum & piorum & Doctorum, qui in columbinam mentem debileque corpusculum inferorum congestam stragem mirabantur, admissa est concorditer ab omnibus, si tamen prius à Matre, cui in delicijs erat, licentiam consequeretur. Ipsa vero orationibus adversam Matrem vincendam rata, ita flexit, ut ulivo ad Monasterium ipsam comitaretur, & superiori traderet hisce Verbis: En, inquit, omnes & sola opes nostra: habeat sibi illas **DEUS** solus. Contigit hoc 5. Augusti, Daemonibus varijs induitis larvas, & non passuros minantibus, donec deinceps quarto Novembris sacro redimta velo & quasi obvallata hostium furorem penè totum compressi, tantis deinceps gratijs à Numine toto probationis anno cumulata, quantis antea plagis fuerat exoruciata; dum in extasim plerumque raptâ, arcanis Visionibus, Divinisque revelationibus innumeris, frueretur. Ex Vita & R. P. Tribut.

In Germania Inferiore plurimum celebratur à magnis genij ingenijque talentis Henricus Van den Zipe ex Monacho & Priore S. Joannis Jprensis, & Praeposito Affligemienfi, postulatus Abbas S. Andreae prope Brugas, post mortem sanctae memoriae Joannis Beurier, qui praeter multa alia praecclare gesta, Verus pauperum & desolatorum, insigni titulo, Pater audijt, variaeque posteris singularis eruditionis juxta integritatem, monumenta reliquit, eaque inter Gregorium Benedictinum. Ex ejusdem Canobij monim.

Fuit hoc eodem anno Abbatisa in Vergaville vulgo Widerstorff Venerabilis Domina Adeodata ex familia Comitû de Ligneville, Dominorû de Tanville, Tumeius, &c. non sine singulari

Dui corpusculi carnis flex.

Damoni, ut lob. flagellanda permutatur.

Christum sepius intuetur.

Eam ab ingressu Religionis diabolus impedire conatur.

Monasterium ingreditur.

Pavens diu reluctans consentit.

Henricus Van der Zipe Abbas S. Andreae.

Adeodata Com. de Ligneville.

lari Numinis providentia, femina Zeli & Virtutis incomparabilis, de qua suo loco plura dicemus.

*IESU CHRISTI ANNIUS. M.DC.XXVII
Sancti Patris Benedicti. M.C. XLVI.*

Sequuti hoc anno Panhormitanorum exemplum Messanenses Siculi, sanctissimum Patriarcham nostrum Benedictum certum ac præpotentem pestilentis luis Medicum solemnissima omnium devotione & congratulatione suæ Urbis Patronum cooptant & consalutant. *Maur. Marchesius, &c.*

Lugubris hic Regibus Regnoque toti Galliarum annus est, etsi juxta gloriosissimus & Regno & universo Benedictino Ordini, felicissimo è terris in cælum transitu Admirabilis omnino Virginis & lectissimæ Christi Sponsæ, sanctissimæ memoriæ Margaritæ d' Arbous à S. Gertrude cognominatæ, imo Gertrudes Rediviva appellari merita, vivum exemplar Totius Sanctitatis. Edificatum recentissimè erat novum Virginum Ordinis nostri Monasterium in Urbe ad Ligerim fluvium, quam vulgo *Charitatem* appellant, Dioceseos Antisiodorensis: Sanctimoniales illius Cænobij Religiosæ Observantiæ cupidissimæ Margaritam, nostram enixè rogaverunt, adjunctis etiam omnium ejusdem Urbis civium votis, ut ad suum Monasterium dignaretur dies aliquot diversari, ut in eo Regularem observantiam institueret. Hanc provinciam libenter amplexa est de licentia Reverendissimorum Præsulum, Joan. Francisci de Gondy Archiepiscopi Parisiensis, & Egidij de Souvre Episcopi Antisiodorensis, atque etiam R. d. Abbatis Vallis Gratiæ (jam enim ipsa hoc ipso etiam anno honore Abbatiæ se ad dicaverat) idque majore studio, quod regionis illius puellæ essent ad districtam vivendi rationem aptiores Parisiensibus, eo quod essent robustiores, neque in delicijs enutritæ, sed duriori vitæ suæ assidua consuetudine asuefactæ. Cùm igitur se ad hoc iter, præ via Confessione Generali & assiduis orationibus, atque assequutione Jubilæi superioris anni preparasset, egressa est è Cænobio Vallis Gratiæ anni 1625. quarto Cal. Maij, comitantibus ejusdem Cænobij Monialibus, Reverenda Matre Maria,

de Burges, Vallis Gratiæ Proprioris, sorore Catharina Campans, sorore Margarita du Font, & sorore Thomaſia le Queux Conversa, cæteris collachrymantibus, quod à tam pia Matre divelli cogerebantur. Inter eundem pijs exercitijs otium & tempus traducebatur.

Tandem ad portam Urbis Charitatis, quam Parisiensem appellant venerunt 5. Nonas Maij ejusdem anni, ad quam ei occurrit R. P. Dom. Franciscus Rapine Prior S. Petri de Monasterio, & Vicarius Generalis Episcopi Antisiodorensis, omnium Parœcciarum Sacerdotis, civitatis opimatibus numerosaque civium atque oppidanorum turba circumfessus. Et sic longo processione tractu, cum suo comitatu deducta est ad Montem Pietatis (ita nominatum fuit novum Monasterium) quam ad portam Cænobij R. Mater. Magdalona Rochovard cum suis sanctimonialibus excepit, eamque ad Chororum deduxit. Tum Beata Margarita in Subsellio Superioris collocata Introitum Missæ de S. Cruce singulari vocis & cordis affectu incepit. Inde finito sacro in Monasterium ingressa, Regularem observantiam juxta Vallis Gratiæ consuetudines, stabilivit. Multi ipsam ibidem convenerunt, eosque inter Leonardus d' Estrapes Ausciorum Archiepiscopus; qui cum ea quatuor horas de rebus Divinis colloquutus est, & discendo ejus ingenium & sanctimonialiam mirum in modum laudavit, quam & Cluniacenses nostri ejusdem Civitatis Ascetæ sapius convenientes ejus consilio atque industria Regularem tam sanctè vivendi normam amplexati sunt.

Tandem Beata nostra Margarita, quæ nihil prætermittēbat, ut cultum Dei ubique promoveret, tam pio labori vitam impendit. Domina de Montigny Abbatisa Carentonij provincie Borboniensis in Diocesi Bituricensi, crebras ad eam misit litteras, ut ad se veniret magnopere efflagitans, quo Regularem Monasterij sui disciplinam refarcire posset. Quæ ejus precibus victa & salutis animarum studio, se ituram promisit, modo id probaret Jll. mus Rolandus Hebertus Archiepiscopus Bituricensis. Quod cum ille annuisset, de licentia R. P. Francisci

*Ad cælos
pergit B.
Marg. d'
Arbous.*

*Reforma-
tione in-
cepta.*

*Ejus Con-
fessio Gene-
ralis.*

*Montis Pie-
tatis Mona-
sterium.*

*Convenerunt
Margarita
& Magni.*